

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre prohibitionis infringere in posterum vel ei ausu temerario contraire. Quod qui¹⁾ attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis Dei etc. se noverit incursurum.

(f. 102 v.) Innocentio divina electione summo pontifici, P. et S. devoti filii sui salutem et oscula pedum cum obedientia debita et devota. Mandatum vestrum, pater sancte, recipimus, quatinus abbatem illum ad hoc monitis efficacibus inducere curaremus, ut H. pauperi clerico subdiacono, boni testimonii viro, presentium latori, in ecclesiastico beneficio provideret. Unde nos de mandato vestro solliciti abbatem ipsum ad hoc induximus, quod ipse tanquam filius obedientie preces et commoniciones nostras et mandatum vestrum satis humiliter et benigne recipiens, eidem clerico promisit, quod ei juxta mandatum apostolicum oportunitate habita provideret, et promissum suum litteris patentibus confirmavit.

(f. 103.) G. et D. viro venerabili presbitero Sancti Re. salutem. Scripsit nobis summus pontifex in hec verba: 'Innocentius episcopus, servus servorum Dei, dilectis filiis G. et D. canonicis salutem et apostolicam benedictionem. Transmissa nobis B. mulier conquestionem monstravit, quod H. laicus civis²⁾ Rem. quandam summam pecunie quam ei fide media tenetur exsolvere, contra justiciam detinet et reddere contradicit. Ideoque discretioni vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus inquisita super transgressionem fidei diligentius veritate, quod canonicum fuerit, usuris cessantibus, appellatione postposita statuatis: facientes quod decreveritis, per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Nullis litteris veritati³⁾ et justicie prejudicantibus a sede apostolica impetratis. Quod si non omnes' etc. Hac igitur auctoritate vobis mandamus et precipimus, quantinus predictum H. quem presentium latrrix ad noticiam vobis satis nominabit, ad nostram citetis⁴⁾ presentiam, in crastino nat. Domini satis dicte B. mulieri in jure responsurum, et hunc diem ei assignetis peremptorium'.

Auctoritate apostolica, qua in hac parte fungimur, vobis mandamus quatinus R. excommunicationi subiciatis et ab omnibus arctius evitari faciatis, si vobis constiterit ipsum fuisse in crastino S. Petri a nobis citatum, quia B. responsurus nec venit nec mittere curavit.

R. B. vitam gratiosam et exitum gloriosum. Dilectum socium nostrum P. latorem presentium dilectioni vestre, de qua non minimum confidimus, destinamus, virum scilicet sincere opinionis et conversationis conprobate, licet in lesionem fame sue circumdederunt eum viri mendaces. Supplicamus igitur, pater bone, et quam obnixius possumus inploramus, quatinus

1) hoc Hs.

2) eius Hs.

3) veritatis Hs.

4) scit. Hs.